UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Epitome Instituti Societatis Jesu

Sesti, Curtius

Bruxellis, 1690

Sect. II. De Magistris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-68440

Visual Library

libus incitamentis,ne Regulæ negligantur, det operam. *g* Ad continendos autem in officio Auditores, ſervet quod infra explicabitur, & in ipſius Regulis continetur. *h*

g R. 35. 36.

h R. à 37. ad 49.

SECTIO II.

De Magiſtris.

Quinam Magiſtri ordinariè conſtituendi, & quantoperè fovendi.

QUæ multa præſtanda ſunt à Magiſtris Societatis, referuntur in ipſorum Regulis tum communibus, tum particularibus; & magna ex parte indicantur toto hoc tractatu de Scholis. Addenda hic ſolùm, quod in iis eligendis, inſtituendiſque præſcriptum eſt.

1. Magiſtri diverſi pro captu, & numero audientium conſtituendi, & omnes, ſi fieri poteſt, ex Societate ſint: quamvis, ſi neceſſitas urgeret, Externi eſſe poſſint: optandumque ut docti, diligentes, & profectus ſtudentium ſtudioſi ſint. *i* Rector verò caritate Religioſa Magiſtrorum alacritatem foveat; curetque ne muneribus domeſticis gravius onerentur. *l*

i P. 4 c. 6. §. 6. & c. 13. §. 3. & B. & C. 2. D. 9.

l St. R. Rect. 20.

Præcipuè commendantur Magiſtri inferiores.

2. Cum ſtudium literarum humaniorum, magno Reipub. Chriſtianæ commodo, Societas uſurpaverit; harum Magiſtros ſpeciatim Superioribus commendavit: ut

ut eos, quantâ poſſunt benevolentiâ in Domino proſequantur; ſuoſque omnes ad munus illud alacriter, & conſtanter obeundum adhortentur: eſt enim proprium Societatis Miniſterium, nec certo temporis ſpatio, nec certis perſonis addictum. *m*

m C. 7. D. 26. & C. 8. D. 8.

Iidem formandi.

3. Ne autem hujuſmodi Magiſtri, docendi rudes, ad docendum accedant; priùs inſtituantur ab aliquo peritiſſimo privata Academia. *n* Perpetui etiam harum literarum Profeſſores parentur; proderitque aliquos ea conditione in Societatem recipere, ut vitam ſuam huic Miniſterio dicare velint. *o* Curandum verò, ut bini ſaltem, aut terni in qualibet Provincia his literis, & eloquentia præſtantes habeantur; *p* & quilibet initium docendi faciat ab ea Schola, qua Superior Scientia ſit: *q* nec, qui audituri ſunt Philoſophiam, ſcholis præficiantur. *r* Et ſi non facilè à docendi munere Scholaſtici eximendi; tamen in eo non admodum detinendi; qui præſtant concionandi talento; nec ante Theologica ſtudia, qui in his plus ceteris profecturi in quolibet curſu ſperantur. *s*

n St. R. Prov. 30. & St. R. Rect. 9. & Præf. inf. 5.

o St. R. Prov. 24. 25.

p St. R. Prov. 22.

q St. R. Prov. 29.

r St. R. Prov. 28.

s St. R. Prov. 26. 27.

Magiſtri aliqui extraordinarii

4. An verò in Univerſitatibus, præter ordinarios Præceptores, eſſe aliquos oporteat; qui, more publicorum Profeſſorum, legant quamlibet diſciplinam majori cum ap-

apparatu, prudentia id conſtituet. *t* Cathedræ publicæ in Univerſitatibus, aut alibi, ſi ſpontè offerantur, & gratis prælegatur, neque intercedat ulla diſceptatio ſuffragiorum, & oppoſitio, admitti poſſunt, annuente P. Generali. *u* Nullis Seminariis Externorum adoleſcentium concedantur Præceptores ſeparati ab iis, qui in Scholis noſtris docent. *x*

t P.4.c.13.C.
u C.1.D.118.
x C.2.D.18. & C.12.D.25.

SECTIO III.

De reliquis Officialibus.

Secretarius.

1. SIt etiam Secretarius, qui librum habeat, ubi omnium Scholaſticorum nomina ſcribantur; quique eorum promiſſionem, citra jusjurandum, de Obedientia Rectori præſtanda, obſervandiſque ſuis Regulis admittat: & ſigillum Rectoris, & Univerſitatis habeat: omnia verò ſine ullis expenſis fient. *y*

y P.4.c.17.§.3.

Notarius.

2. Erit & Notarius ad faciendam publicam fidem de ſuſceptis Gradibus: & aliis, quæ occurrunt: & aliquid moderati emolumenti percipere exinde poterit ab Externis; dummodò nihil in Societatem redundet. Ad teſtimonium autem Noſtris reddendum literæ patentes Rectorum ſatis erunt. *z*

z P.4 c.17.§.4. & F.

3. Sint